

Argumenta tum ab Astronomia tum à Philosophia Naturali deducta ad evertendum Telluris Motum sunt invalida.

URania, ætherei semper bene conscia Mundi,
Sideribus quæ cincta caput, per sidera celso
Incedis gressu, nostræque impervia menti.
Ore vides, animóque notas, digníque recludis,
In carmen te, Musa, voco: tibi terra Políque,
Diva, patent; nos parca vetat Natura vel istam,
Quam calcamus, humum fragili pernoscere sensu.
Maxima Philosophos inter gentémque togatam
(Post *Danum*) tibi cura fuit *Copernicus* Heros;
Quíque inter Vates tibi charus habebitur, ille
Proxima; seu terram calcat, seu ad sidera surgit.
Currite jam placido, mea carmina, currite lapsu,
Quo pede, terra solet, motúque imitante quietem,
Tam nullo penè & ratio quem sola sequatur.
Credite, Mortales, in cœlo Terra movetur:
Illa solet *Phœbo* & reliquis occurrere stellis,
Solem oriente die, solem cedente procatur,
Totâ nocte vigil nec amor dat lumina somno:
Ille manet medio, radiósque per omnia spargit
Par Naturæ Oculus, rerumque immobile Centrum.
Rident Astronomi, barbatáque turba Sophorum,
Queis Natura parens animos tastúmque creavit;
Atque ipsum potiùs ferri vertigine Vatem
Exclamant, motúmque soli nostrum esse furorem.
Nobis Alma Parens & cui dat nomina cœlum,
Musa, dedit verum (salso licet undique risu
Excipitur) mundo ferre & ratione probare.
Aptior est longè Tellus leviórque moveri
Orbibus immensis Cœli; & cùm Terra minor sit,
Tam parvæ minor esse solet violentia molis.
At, veluti cymbâ, pueri qui flumina tranant,
Jam ripas urbésque procul discedere clamant,
Dum ripis fixísque abscedunt urbibus ipsi:
Sic vulgus (puerile genus) puerilia mentis
Errata indociles Arte abjectare magistrâ,
Cùm videant variare polos, inopináque mundo
Sidera monstrari (Terrâ labente per auras)
Volventes orbes immensáque pondera cœli
Immotásque Deûm sedes gyrantia circùm
Abripier fingunt mentem exuperante volatu.

ERGO,

Multa licèt Cœli Naturaíque magistri
Arguerint, motúmque soli defigere rursus
Certârint; nunquam legi contrarius orbis
Motus erit Terræ: Ratio cùm numinis olim
Tellurem môrit, ratio hanc sit nostra moveri.

Corruptio & dissolutio mundi non potest inferri ex principiis Physicis.

NEc satis est dixisse Deum, decretáque cœli
Cognovisse homines; ipsi nova somnia fingũt,
Evacuátque fidem ratio: quàm dulce putatur
Scire, & magnarum causas inquirere rerum!
Hinc aliquis veri studio flagrantior æquo,
Et cui spem fecit vis vivida mentis inanem,
Mortales quanquam fugiant cœlestia sensus,
Tentat inaccessam lucem, & ratione molestâ
Invia secreti vexat penetralia mundi:
Monstrat ut ipse tener mundi concreverit orbis
Ex nihilo, utque olim longi post tædia motûs
Collapsura in se tantæ sit machina molis:
Cùm tamen interea mortis non ulla futuræ
Signa videt, servátque suum sincera tenorem
Semper, & æternâ fruitur Natura juventâ.
Attende, & faciles oculos circum omnia versa;
Num quid in oceano, terrâ, cœlóve minatur
Interitum cunctis, & fata instantia rebus?
Fundit humo facilem victum justissima tellus,
Sol indefessis orbem collustrat habenis;
Sed nec Luna minùs nocturnam pallida pompam
Ducit, & amissi solatur damna diei.
Præscriptas elementa horrent transcendere leges,
Nec timor est unquam rupto ne fœdere pugnent,
Civilíve ruant dextrâ; nova bella perenni
Corpora pace gerunt, coëunt æterna caducis,
Inque vices mors, vita fluunt; genuisse perîsse est,
Et periisse salus: fraternâ pace ligatur,
Et constat natura sibi; num lassa resedit,
Aut unquam solitas est visa remittere vires?
Illam non seræ labefecerit ulla senectæ,
Non fati vis ulla; Deus, Deus ipse Creator,
Cùm volet, unius solenni fulmine vocis
Has evertet opes, sternétque à culmine molem.

Jul. 2. 1678. In die *Comit.* Respond. in Philos. *Henr. Nicholl*, A. M. *Coll. Eman. Soc.*